

CAPUT VII.

Idem probatur ex Patribus.

Accedant nunc testimonia Patrum Græcorum et Latinorum, qui incredibili consensione hanc veritatem docent. Ac ut a Græcis incipiamus, B. Ignatius apud Eusebium lib. III, hist. c. 36. hortabatur omnes, Apostolorum Traditionibus tenacius inhærere: « Quas Traditiones, » inquit Eusebius, « caute gratia etiam scriptas se asserit reliquisse. » Hæc ille. Ex quo sequitur, eas ab Apostolis scriptas non fuisse.

Ad hoc testimonium nihil respondet Hermannus, nisi non exstare ista scripta Ignatii. At falsum est non exstare: scribit enim Hieronymus in lib. De vir. illustr. Ignatium scripsisse epistolam ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphenses, ad Smyrnenes, ad Polycarpum, quæ omnes nunc exstant, et in eis invenimus jejunium Quadragesimæ, Ordines minores, diem Dominicum, et alia quæ non sunt in Scripturis, et tamen ab Apostolis sine dubio Ignatius didicit.

Dionysius Areopagita, cap. I, Eccles. hierarchiæ: « Primi illi, inquit, nostri sacerdotalis muneris duces summa illa, et super-substantialia partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis nobis tradiderunt. » Ad hæc et similia respondere solent Lutherus, Calvinus, et cæteri, libros qui nomine Dionysii circumferuntur, non esse Dionysii. At citantur opera hæc nomine Dionysii Areopagite in VI, VII et VIII Synodo generali; item a Gregorio I, in homil. de cent. ovib., a Martino I, in Concilio Romano, et ab Agathone in epist. ad Imperatorem Constantinum ex quo coguntur fateri hæretici, hunc auctorem ante annos mille scripsisse, proinde non esse contemnendum.

Hegesippus apud Euseb. lib. IV, hist. cap. 8. Apostolicas Traditiones quinque libris comprehendit, qui etsi modo non exstant, tamen satis indicat hoc testimonium, Apostolos non omnia scripsisse, quæ doctuerant. Polycarpus apud Euseb. lib. V, cap. 20, referebat verba, quæ dicta a Domino, ab Apostolis ipse audierat, et de virtutibus ejus

ac doctrina. Irenæus autem, ut ibidem habetur, quæ Polycarpus tradebat, describebat, non in charta, sed in corde suo. Hic certum est agi de Traditionibus non scriptis. Si enim de scriptis ageretur, nihil singulare diceretur de Polycarpo, vel Irenæo: nam etiam ego possum referre dicta a Domino, quæ in Apostolis legi, nec est opus, ut ea describam in charta.

At nihilominus respondet Kemnitius: loqui Eusebium de Traditionibus quæ probari possunt ex Scripturis; ait enim ibidem, illa omnia quæ Polycarpus dicebat, fuisse consona Scripturis: sed errat Kemnitius, nam aliud est, esse consonam Scripturæ, aliud posse probari ex Scriptura: omnis enim vera Traditio, imo omnis veritas est consona Scripturæ, cum verum a vero dissonare non possit; nec tamen omnis veritas probari potest ex Scriptura.

Justinus in fine II Apologiæ pro Christianis, posteaquam exposuit multa de Christianis, et inter alia quedam non scripta in divinis Litteris, ut quod conveniant singulis Dominicis, et post lectionem Scripturarum et concionum, offeratur et consecretur panis et vinum aqua temperatum, et quod non licet ullo modo participare de Eucharistia, nisi post Baptismum, et alia; subjungit statim: « Postridie Saturni, qui dies Solis est, cum Apostolis, discipulisque suis apparisset, hæc illis tradidit, quæ vobis quoque consideranda permittimus etc. » Et quamvis etiam Justinus non diceret, hæc esse tradita a Christo, tamen cum Justinus vicinissimus fuerit temporibus Apostolorum, necessarium esset credere, quæ ipsius tempore in Ecclesia gerebantur ab Apostolis tradita fuisse. Quis enim alius fingi potest auctor?

Ad hunc locum et similia Cypriani, Ambrosii, Hilarii, Hieronymi, et aliorum, quæ adferemus, nihil fere respondent Hermannus et socii ejus, nisi istos omnes alicubi errasse. Sed hoc nobis non officit. Etsi enim erraverint aliqui Patrum in quibusdam dogmatibus, nunquam tamen omnes simul in eodem errore conveniunt, proinde cum ostendimus, omnes convenire in Traditionibus non scriptis asserendis, satis efficaçiter probamus, in eo illos non errasse.

Irenæus lib. III, cap. 2, 3 et 4, multa præclara de Traditionibus dicit, quæ tamen a Brentio et Kemnitio trahuntur in alium sensum, de quo nunquam Irenæus cogitavit. Brentius dicit: loqui Irenæum de Traditione

Scripturæ, id est, de Traditione illa, qua per successionem Patrum intelligimus, quæ sint veræ Scripturæ. At non hoc velle Irenæum, verba ejus nos docebunt, lib. III, cap. 4. « Quid autem, inquit, si neque Apostoli Scripturas quidem reliquissent nobis; nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multe gentes barbarorum, quorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, et veterem Traditionem diligenter custodientes. » Si loquitur Irenæus de Traditione Scripturæ, quomodo isti barbari habebant, et custodiebant diligenter Traditionem, qui Scripturas nullas habebant?

Kemnitius autem dicit: loqui Irenæum de Traditione eorum dogmatum tantum, quæ in Scripturis inveniuntur, et quæ per Scripturas probari possunt. At hoc etiam esse falsum, docebunt ejusdem Irenæi verba, nam cap. 2, 3 et 4, docet, non esse aliam viam perveniendi ad veritatem, quam consulendo Ecclesias, in quibus est successio Episcoporum ab Apostolis, et considerando quid ibi doceatur, et quam dicant illæ Ecclesiæ esse Apostolicam Traditionem. Vult igitur Irenæus, Traditionem latius patere, quam Scripturas et sensum Scripturarum difficultum non ex Scriptura, sed ex Traditione haberi, ita ut Traditio sola sufficiat, Scripturæ autem non sufficiant. At falsum esset hoc totum, si nihil aliud Traditio contineret, quam id, quod evidenter colligitur ex Scripturis, ut Kemnitius somniat.

Postquam igitur c. 2, dixerat, hæreticos non posse convinci ex Scripturis, et cap. 3, enumeraverat Romanos Pontifices a Petro usque ad Eleutherium, qui tunc sedebat, ut ostenderet, esse in Ecclesia continuatam successionem Episcoporum conservantium Traditionem Apostolicam, ita loquitur cap. 4: « Tante igitur ostensionis cum sint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere: cum Apostoli quasi in depositarium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis, ut omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus; omnes autem reliqui fures sunt et latrones, propter quod oportet devitare quidem illos, quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summa diligentia diligere, et apprehendere veritatis Traditionem. Quid enim, etsi de

aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de presenti quaestione sumere quod certum, et re liquidum est? Quid autem, si neque Apostoli Scripturas quidem reliquissent, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis? etc. » Quibus verbis addenda sunt, quæ idem habet lib. IV, c. 43. « Qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt. » Vides, quomodo Apostoli tradiderunt successoribus non solum Scripturas, sed charisma veritatis certum, id est veram Scripturarum intelligentiam, et universam doctrinam Evangelicam.

Clemens Alexandrinus in lib. De Pasch., ut est apud Euseb. lib. VI, histor. cap. 11, dicit, extorqueri sibi a fratribus, ut ea quæ a Presbyteris Apostolorum successoribus voce sibi sola tradita essent, describeret in libris, ac posteris traderet; nescio quid clarior pro Traditionibus dici possit. Origenes in cap. 6, epist. ad Rom.: « Ecclesia, inquit, ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis Baptismum dare. » Et hom. 5, in lib. Numer.: « In Ecclesiasticis observationibus, inquit, sunt nonnulla, quæ omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet. » Et enumerat statim multas Traditiones non scriptas.

Eusebius lib. I, De Demonstr. Evang. cap. 8. « Cæterum, » inquit, « Moses in tabulis inanimatis, Christus autem in mentibus vita præditis perfecta novi Testamenti documenta descripsit. Ejus vero discipuli, ad magistri sui nutum, auribus multorum doctrinam suam accommodantes, quæcumque quidem veluti ultra habitum progressi a perfecto ipsorum magistro præcepta fuerant, ea iis, qui capere poterant, tradiderunt: quæcumque vero iis convenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationis indigentes, ea ipsi ad imbecillitatem multorum se demittentes, partim litteris, partim sine litteris, quasi jure quodam non scripto servanda commendarunt. »

Athanasius in lib. De decr. Nicenæ Synodi contra Eusebium: « Ecce, » inquit, « nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstravimus. Vos autem, o novi Judæi et Caiphæ discipuli, quos tandem verborum vestrorum potestis ostendere progenitores? » Basilius

lib. De Spir. sanct., cap. 27. « Dogmata, » inquit, « quæ in Ecclesia servantur ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delata recepimus. Quæ utraque eandem ad pietatem vim habent, et nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem Ecclesiasticorum jurium experientiam habet, etc. » Et enumerat continuo plurimas Traditiones non scriptas, et similia habet cap. 29.

Respondet Kemnitius : hæc quæ Basilius refert, non esse dogmata Fidei, aut morum, sed tantum ritus quosdam liberos, ut signare se signo Crucis, adorare ad Orientem, benedici aquam etc. At meminisse debet Kemnitius se dixisse, non posse ostendi ullum ritum certo ab Apostolis institutum : hic autem Basilius audacter enumerat plurimos ab Apostolis institutos. Deinde etsi non sit necessaria ad salutem observatio aliquorum ex his ritibus, tamen necessarium est ad salutem credere esse bene institutos, et eos non contemnere : quemadmodum multa quæ sunt in Scripturis, non sunt necessaria ad salutem, ut quod vir aperto capite oret, et mulier velato 1. Corint. XI. et tamen necesse est ad salutem ista credere, et non contemnere.

Denique Basilius non solum ritus quosdam, sed etiam quædam refert essentialia, ut confessionem Fidei, id est, Symbolum Apostolicum, quod ex Traditione habemus, et olei unctionem in Sacramento Confirmationis : quædam etiam alia commemorat, quæ etsi ex se non sint necessaria, tamen postquam præcepta sunt, ita sunt necessaria, ut si de industria omittantur, graviter peccetur, ut signum crucis in consecratione aquæ, Eucharistia, Chrismatis; necnon abrenuntiatio Satanae, et pompis ejus in Baptismo etc. Dicit enim Augustinus tractat. 118. in Jo., sine signo Crucis nulla Sacramenta rite peragi; et idem docet Chrysostomus homil. 55. in Matth.

Brentius autem inverecundior respondet : has Basilius sententias esse ex nævis et erroribus Basilius, qui pro honore tanti viri deberent silentio tegi : et nos vocat porcos et imitatores Cham, qui Patrum nostrorum turpitudines denudamus. Non enim existimat esse ferendum quod Basilius dicat, eandem vim habere ad pietatem Traditiones pæda-

gogicas (ut ipse loquitur) de signo Crucis, et aqua benedicta, cum Scripturæ sanctæ dogmatibus.

Sed omissis conviciis, nec enim nostrum est, reddere mala pro malis, respondeo ad id quod Brentius objicit : rectissime æquari Traditiones Scripturis, nam ut in Scripturis quædam sunt magna præcepta, ut diligere Deum, quædam minora, ut non dicere verbum otiosum, quæ non æque obligant ad observationem, et tamen æque obligant ad Fidem et venerationem. Non enim minus est hæreticus, qui non credit, aut non veneratur Scripturam illam, quæ dicit : *De omni verbo otioso reddent rationem in die judicii* (1); quam qui non credit, aut non veneratur illam : *Diliges Dominum Deum tuum etc.* (2) Ita etiam in Traditionibus quædam sunt majora, et quædam minora quoad obligationem agendi, et tamen omnia æque obligant ad Fidem, et venerationem. Et eodem modo quædam sunt Traditiones majores quoad obligationem, quam quædam Scripturæ, quædam minores, et quædam æquales, cum tamen omnes Traditiones, et omnes Scripturæ sint æquales, quantum ad Fidem et venerationem, quæ illis debetur, cum proficiantur ab eodem auctore Deo, et veniant ad nos per manus ejusdem Ecclesiæ Catholice, quæ est mater nostra et Christi sponsa.

Denique Hermannus non contentus iis, quæ Brentius et Kemnitius dixerant, addit : « Ista omnia non esse Basilius, sed inserta in libro Basilius ab aliquo nebulone. » Quæ sane expeditissima responsio est; sic enim facile est solvere omnia argumenta : neque adfert aliam probationem Hermannus, quam Erasmi testimonium, qui visus est sibi necio quam diversitatem styli offecisse in his capitibus superioribus. At B. Joannes Damascenus longe antiquior et doctior, et in Basilius scriptis magis versatus, nihil tale offacere potuit. Is enim (ut omittam Recentiores plurimos) in Orat. 1. pro Sanct. imagin. sic ait : « Sic ad verbum ait B. Basilius in vigesimo septimo capite illius libri, quem de Spiritu sancto triginta distinctum capitibus ad Amphilochem scribit. Quæ in Ecclesia servantur, et prædicantur instituta, partim ex scripta constant doctrina, partim Apostolorum Traditione etc. »

Gregorius Nazianzenus Orat. 1. in Julianum ultra medium, post quam dixerat, pro-

ter dogmata Testamenti veteris et novi, doctrinam Ecclesiæ visam fuisse Juliano mirabilem; addit continuo : « Cæterum, inquit, majorem atque insigniorem ob formas Ecclesiæ nobis traditas, atque in hunc usque diem conservatas etc. » Explicat autem postea, se figuras Ecclesiæ vocasse disciplinam, politiam, ordinem Ecclesiæ, rationem psallendi, modum penitentiae imponendæ, sacraria in templis, monachatum, virginum cænobia, et alia permulta, quæ ex sola Traditione habentur. Quæ omnia Julianus voluit Ethnicis imitari, ut eo modo Christianos facilius traheret ad paganismum.

Chrysostomus in II. Thessal. II. « Patet, inquit, quod non omnia per epistolam tradiderint Apostoli, sed multa sine litteris. Eadem vero fide digna sunt tam ista, quam illa. » Idem habent Theophylactus et Eumenius. Hic illud notandum cum Basilius, Chrysostomus, Theophylactus, Eumenius æquent Traditiones Scripturis, quid sit judicandum de censura Kemnitii, qui ait : « Insignis omnino audacia est, auctoritati, et majestati Scripturæ canonice aliquid æquare » : et passim ridet Concilium Tridentinum, quod pari pietatis affectu veneretur Traditiones et Scripturam. Idem Chrysostomus hom. 69. ad populum, et hom. 3. in epist. ad Philippen. « Non frustra, inquit, ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Noverunt illis multum hinc emolumentum fieri, nullum utilitatis. »

Theophilus lib. I. et III. Paschali, discrete docet, legem juniorum Apostolicam esse Traditionem. Cyrillus Hierosolymitanus in catech. mystagog., nihil fere explicat aliud, quam Traditiones non scriptas de Baptismo, et aliis Sacramentis. Epiphanius hæres. 55. quæ est Melchisedecianorum : « Termini, inquit, nobis positi sunt, et fundamenta, et edificatio Fidei : Apostolorum Traditiones, et Scripturæ sanctæ, et successiones doctrinæ, et undequaque veritas Dei munita est : et nemo decipiatur novis fabulis. » Item hæres. 61. quæ est Apostolicorum : « Oportet, inquit, et Traditione uti; non enim omnia a divina Scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione sancti Apostoli tradiderunt. » Similia vide hæres. 75. Aerii, et in compend. doct.

Ad hæc nihil respondent, nisi blasphemando, Epiphanium delectatum esse nimium

Traditionibus et apocryphis fabulis etc. Et inter alia putat Brentius non ferendum, quod Epiphanius dixerit, apostolicam esse Traditionem, quod non liceat nubere post volum emissum virginitatis : cum nimirum id fecerint primi parentes Lutheranorum Lutherus et Calharina, sed hæc alibi suo loco refellentur.

Damascenus lib. IV, cap. 17. « Plurima, inquit, Apostoli sine scripto tradiderunt etc. » Nulla etiam habet orat. pro imagin. sanct.

Ex Latinis Tertullianus lib. De Cor. mil. cap. 3. « Etiam, inquit, in Traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo queramus, an et Traditio non scripta non debeat recipi. Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius Scripturæ instrumento, solius Traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. » Deinde enumeratis cæremoniis Baptismi, signi Crucis, Sacrificii anniversarii pro defunctis, et aliis quibusdam cap. 5. subdit : « Harum, inquit, et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expositules Scripturarum, nullam invenies : Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, et Fides observatrix. » Idem passim Traditione utendum docet, lib. I. Cont. Marcion; lib. II. Ad uxorem; lib. De veland. virg. et lib. De prescript. heret. ubi ex instituto docet, hæreticos non ex Scripturis, sed ex Traditione confutandos. Quæ ad hæc loca respondent, jam confutata sunt, cum ageremus de Ireneo, et Basilio.

B. Cyprianus lib. I. epist. 12. « Unge quoque necesse est, inquit, eum, qui baptizatus sit etc. » At constat, nihil de chrismate in Scripturis haberi, sed tantum in Traditione. Idem lib. II. epistol. 3. « Admonitos non scias, ut in calice offerendo Dominica Traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur. » Respondet Kemnitius : loqui Cyprianum de Traditione scripta. At falsum est, non enim aque meminerunt Evangelistæ. Hermannus dicit : quia non est scriptum, Dominum posuisse aquam in calice, melius esse non ponere; sic enim Dominum fecisse. At cum neutrum scriptum sit, mirum est, unde tantum sibi assumat Hermannus, ut velit sibi potius, quam Cypriano credi.

(1) Matth. XII, 36. — (2) Deut. VI, 5; Matth. XX, 37; Marc. XII, 30; Luc. X, 27.

Brentius veritatem se ad contumelias, dicit enim: Cyprianum semper esse nimium in suis opinionibus asserendis, et hæc illi incogitantem excidisse. Et ratio Brentii est, quia videtur Cyprianus inepta ratione probare hunc ritum; dicit enim: « Debere misceri aquam vino, quia vinum significat Christum, aqua populos Ecclesie: et dum miscetur aqua vino, Ecclesia jungitur Christo: si autem vinum solum consecraretur, jam inciperet Christus esse sine Ecclesia. Quod certe ridiculum videtur. Quis enim credat, si unus sacerdos non miscerit aquam cum vino in calice, mox Christum amissurum Ecclesiam? » At non animadvertit Brentius, vel animadvertere fortasse noluit, Cyprianum non de reali conjunctione, vel separatione Christi et Ecclesie agere, sed tantum de significativa. Rectissime enim in materia Sacramentorum argumentatur ab imperfecta significatione. Præterea, Cyprianus non vult servari hunc ritum propter illam rationem præcipue: sed quia Dominus sic docuit: ratio autem illa addita est, ut ostendatur Traditio rationi conformis esse. Quocirca, etiamsi Cyprianus non attulisset convenientem rationem, non propterea negandum esset, ritum hunc esse servandum, vel a Domino traditum.

S. Hilarius lib. Cont. Constant. Imperat. circa medium, objicienti Ariano Principi: « Nolo, verba quæ non scripta sunt legi. » Respondet: « Hoc tandem, inquit, rogo, quis Episcopis jubeat? quis apostolicæ prædicationis vetet formam? Dic prius, si recte dici putas, nolo adversus nova venena novas medicamentorum comparationes etc. » Quibus verbis duo indicat Hilarius; unum, prædicationem consubstantialitatis Patris et Filii esse Apostolicæ prædicationis, licet expresse non sit scriptum, Filium esse Patri consubstantiali; alterum, nomen ipsum *ὑποστάσις* esse quidem novum, sed tamen retinendum, licet non sit scriptum, quia conforme est prædicationi apostolicæ.

Hermannus hunc locum sua glossa depravat, sic enim exponit: « Hoc, inquit, rogo, quis Episcopis jubeat, id est, ut aliquid extra Scripturam proferant. » At si ista est bona glossa, Hilarius consentit cum Constantio; igitur male subjicit: « Dic prius, si recte dici putas, nolo adversus nova venena etc. » Quid, quod toto libro fere hoc agit, ut nomen *ὑποστάσις* retineatur? at secundum glossam Hermannii aboleri potius voluisset.

S. Ambrosius lib. de iis, qui init. myster.

cap. 2 et 6. et lib. I. de Sacram. c. 1 et 2. explicat ritus, qui ab universa Ecclesia servantur in Baptismo, qui nusquam scripti inveniuntur in divinis Litteris, et quos cæteri constanter referunt in Apostolos auctores. Serm. 25, 34 et 36. docet, Quadragesimam a Christo præceptam. Epist. 81, et serm. 38. docet, Symbolum Apostolorum Apostolicam esse Traditionem non scriptam. Contra Ambrosium multa blasphemata Hermannus, sed nihil efficiunt nostro proposito.

S. Hieronymus in epist. ad Marcellam de error. Montani: « Non, inquit, unam Quadragesimam secundum Traditionem Apostolorum, tempore nobis congruo jejunamus. » Item in dial. adv. Lucifer. ante medium, cum hæreticus dixisset: « Multa, quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt. » Respondit Orthodoxus: « Non quidem abnuo, hæc esse Ecclesiarum consuetudinem: sed quales est, ut leges Ecclesie ad hæresim transferas? »

S. Augustinus epist. 118. « Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri: sicut quod Domini Passio, et Resurrectio, et Ascensio in cælum, et Adventus de cælo Spiritus sancti anniversaria solennitate celebrantur. » Ad hoc respondet Hermannus, multa garriens, et tandem concludens: « Cum, inquit, Augustinus, extra Scripturam Traditiones cum aliis Patribus Ecclesie obtrudis? » Itaque fatetur Hermannus, Augustinum cum aliis Patribus agnoscere Traditiones non scriptas. Quæ sane confessio sufficere deberet, si quid haberet saninitatis, ad ipsius petulantiam coercendam.

At Brentius dupliciter respondet. Primo dicit: si verum sit, hæc esse apostolicam Traditionem, non esse accipiendam ut legem necessariam, sed ut liberam observationem. At contra: nam Augustinus ibidem subdit: « Alia vero quæ per loca terrarum regionumque variantur, etc. liberæ habent observationes. » Ubi Augustinus distinguit inter has apostolicas Traditiones necessarias, et observationes liberæ. Secundo dicit Brentius: Augustinum falso docere, ista festa esse ex apostolica Traditione, cum Apostolus arguat Galat. cap. IV quod dies observarent et tempora. Sed respondet Au-

gustinus epistol. 119. cap. 7. Apostolum reprehendere eos, qui secundum Astrologorum regulas observant tempora. Et lib. cont. Adimant. cap. 16. dicit, Apostolum loqui de festis Judeorum non Christianorum. Quo modo exponant etiam Hieronymus et Chrysostomus: Ambrosius autem utramque simul expositionem amplectitur.

Idem vero Augustinus lib. II de Bap. cont. Donat. cap. 7. « Quam consuetudinem, inquit, credo ex apostolica Traditione venientem, sicut multa quæ non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, et commendata creduntur. » Et lib. IV, cap. 6. « Illa consuetudo, quam etiam tunc homines summus versus respicientes non videbant a posterioribus institutam, recte ab Apostolis tradita creditur. » Et lib. IV, cap. 24. « Quod universa, inquit, tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur. » Et lib. V, cap. 23. « Apostoli, inquit, nihil quidem exinde perceperunt, sed consuetudo illa, quæ opponatur Cypriano, ab eorum Traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur. » Item lib. de unitat. Eccles. cap. 22. « Hic forte dicis, inquit, lege mihi, quemadmodum Christus suscipi jusserit eos, qui ab hæreticis transire ad Ecclesiam volunt. Hoc aperte atque evidenter, neque ego lego, nec tu, etc. » Et postea subdit: « Cum hoc nusquam legatur, credendum esse testimonio Ecclesie, quam veracem esse Christus testatus est. » Similia habet lib. I cont. Crescon. cap. 31, 32 et 33.

Ad hæc Kemnitius respondet duo. Primo Augustini questionem in istis locis esse, an posset proferri exemplum ex Scriptura, quo hæreticus aliquis rebaptizatus, vel sine novo Baptismo susceptus fuisse doceretur: non autem, an essent rebaptizandi, vel non rebaptizandi hæretici; et quidem Augustinum putasse, non posse proferri tale exemplum, et hoc docere in locis allegatis. Secundo ait: Augustinum sine dubio credidisse exstare certa et aperta testimonia in Scripturis, quibus probetur, non esse hæreticos rebaptizandos; proinde hanc Traditionem esse scriptam.

Primum probat ex lib. I. cont. Cresc. cap. 33. ubi Augustinus ait: « Proinde quamvis hujus rei certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, etc. » et similia habet lib. de unit. Eccles. cap. 19. Secundum probat, primo, ex lib. I. cont. Donat. cap. 7. « Ne videar humanis argumentis agere, ex Evangelio profero certa documenta. » Secundo, ex lib. II, cap. 14. « Quid sit perniciosius, utrum omnino non baptizari, an rebaptizari, judicare difficile est: verumtamen recurrens ad illam stateram Dominicam, ubi non ex humano sensu, sed ex auctoritate divina rerum momenta penduntur: invenio de utraque re Domini sententiam. » Tertio, ex lib. IV, cap. 6. « Huc accedit, quod bene perspectis ex utroque latere disputationis rationibus, et Scripturarum testimoniis, potest etiam dici, quod veritas declaravit, hoc sequitur. » Quarto, ex lib. IV, cap. 24. « Veraciter conicere possumus, quid valeat in parvulis Baptismi Sacramentum, ex circumcissione carnis, etc. » Quinto, ex lib. V, cap. 4. « Quisquis et de præterita Ecclesie consuetudine, et posteriori robore plenariis Conciliis, et tot tantisque sanctarum Scripturarum testimoniis, et perspicuis rationibus veritatis intelligit, Christi Baptismum verbis Evangelicis consecratum, non fieri ejuslibet hominis perversitate perversum. » Sexto, ex lib. VI, cap. 1. « Poterat jam sufficere, quod toties repetitis rationibus, adjunctis etiam divinarum Scripturarum documentis, ostendimus. » Septimo, ex lib. V, cap. 23. « Contra mandatum Dei esse, quod venientes ab hæreticis, si jam illic Baptismum Christi acceperunt, non baptizantur, Scripturarum qua sanctorum auctoritate ostenditur? sed plane ostenditur. » Octavo, ex lib. V, cap. 26. « Quod nos admonet, ut ad fontem recurramus, id est, ad apostolicam Traditionem, et inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, et sine dubitatione faciendum. Traditum est ergo nobis, sicut ipse commemorat, ab Apostolis, quod sit unus Deus, et unum Baptisma. »

Respondeo ad primum: falli Kemnitium; nam etsi Augustinus in illo uno loco lib. I. cont. Cresc. cap. 33. de exemplis agit, tamen in aliis locis citatis non agit, de exemplis, sed de præceptis, sive de documentis Scripture, præsertim lib. V. cont. Donat. c. 23. cum ait: « Quæ universa tenet Ecclesia, ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur. » Præ-

terea in illo etiam uno loco quaestio praecipua non erat de exemplo, sive de facto, sed de jure. Constat enim, eum tractare quaestionem de Anabaptismo, qua erat inter Catholicos, et Donatistas: certum autem est, Donatistas non certasse de exemplis, sed de jure.

Quia vero inter disputandum haeretici petiverant, ut ostenderent Catholicis aliquid exemplum in Scripturis, alicujus recepti ab Ecclesia sine baptisatione, Augustinus respondit: exempla in Scripturis nulla esse, nec pro una parte, nec pro alia; et inde concludit, cum non sint ulla in Scripturis non solum praecipua, sed nec exempla, standum esse consuetudini Ecclesiae, qua rectissime creditur ab Apostolis introducta. Quod autem haec ita se habeant, patet tum ex ipsis locis, tum ex eo, quod si quaestio praecipua fuisset de exemplis, Donatistae non fuissent haeretici, nec ullo modo errassent; nam verissimum est, quod illi dicebant, consentiente eis etiam Augustino, nullum exemplum extare in Scripturis de hac re.

Ad secundum dico duo, primo: nos non adferre illa loca Augustini praecipue propter id, quod ipse ait, consuetudinem non rebaptizandi esse ex apostolica Traditione, sed propter id, quod ipse in illis locis subjungit, plurima servari ex Traditione apostolica, quae scripta non sunt. Hoc enim principium tam certum erat apud Augustinum, ut inde probare vellet, etiam consuetudinem non rebaptizandi esse ab Apostolis traditam. Itaque nos magis nitimur hoc principio Augustini, quam conclusione ejus. Kemnitius vero ita nos oppugnat, quasi sola conclusione nitere.

Dico secundo: illam ipsam consuetudinem nunquam putasse Augustinum posse sufficienter probari ex Scripturis, et ideo attulisse quidem eum undecumque rationes et Scripturas; tamen praecipuum fundamentum constituisse in Traditione, quam declarabat Ecclesiae consuetudo, et quam etiam postea declaravit Concilium generale, ut patet tum ex locis citatis, tum ex lib. II cont. Donat. cap. 4. ubi adeo non putabat esse clara testimonia Scripturae de hac re, ut diceret: «Nec nos ipsi tale aliquid audemus asserere, nisi universae Ecclesiae concordissima auctoritate firmati.» Et magis

adhuc patebit respondendo ad singula loca a Kemnitio notata.

Ad primum ex lib. I, cap. 7. cont. Donat., respondeo: mala fide a Kemnitio ommissa fuisse verba, quae erant in medio, et conjuncta prima cum postremis. Nam posteaquam dixerat Augustinus: «Jam ne videar humanis argumentis agere;» subjunxit quod omisit Kemnitius: «quoniam quaestiones hujus obscuritas magnos viros, et magna charitate praeditos patres Episcopos ita inter se compulit salva pace disceptare atque fluctuare, ut totius Orbis Concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur;» et tunc demum addit: «Ex Evangelio profero certa documenta.»

Dixit ergo Augustinus, non potuisse ex Scripturis finire quaestionem illam ante Concilium Ecclesiae plenarium, sed postquam Concilium explicavit dubitationem, et quaestionem totam, jam adferri posse certa documenta Scripturae. Scripturae enim explicitae a Concilio firmiter et certe probant id, quod antea non firmiter probabant: quod etiam verum esse ostendit locus ex Evangelio, quem adfert B. Augustinus. Adfert enim illud Luc. IX: *Nolite prohibere, qui enim non est contra vos, pro vobis est* (1). Quo loco ostenditur, extra Ecclesiam posse esse aliqua dona Dei, ut erat illud donum ejeciorum daemorum: an autem inter illa etiam Baptismus numerandus esset, non potest colligi ex isto loco solo.

Ad secundum respondeo: locum illum non esse ad propositum; ibi enim Augustinus probat ex Scripturis, non licere rebaptizare, quando quis verum Baptismus semel in Ecclesia Catholica suscepit, non autem probat, Baptismus haereticorum esse verum Baptismus, de quo est nostra quaestio. Docere enim eo loco volebat, posse admitti in Ecclesiam per poenitentiam eos, qui agnoscebant se male fecisse rebaptizando Catholicos. Neque aliud Scripturae testimonium profert, nisi illud Joan. XIII: *Qui lotus est, non indiget ut iterum lavet* (2). Ex quo loco nemo colligeret, Baptismus haereticorum esse ratum, sed solum (quod Augustinus colligit) post verum Baptismus non esse addendum alium Baptismus, quod nec Donatistae negassent.

Ad III, IV, V et VI dico: Augustinum ibi

adferre conjecturas ex Scripturis, quae post definitionem Concilii, et exploratam Traditionem non scriptam aliquid valent ad veritatem confirmandam; perse autem non sufficiunt. Id patet ex verbis Augustini, ubi semper ponit Scripturas post consuetudinem, et Concilium, et utitur illis verbis: «Accedit huc: Conjicere possumus: Additis etiam Scripturis, etc.»

Ad septimum dico: Kemnitium mala fide citasse. Illa enim verba «Scripturarum auctoritate sanctorum plane ostenditur» non referuntur ad superiora, quae posuit Kemnitius, sed ad sequentia, quae ille tacuit. Sic enim ait Augustinus: «Plane ostenditur, multos Pseudochristianos, quamvis non habeant eandem charitatem cum Sanctis, sine qua nihil prosunt quaecumque sancta habere potuerint, Baptismus tamen communem habere cum Sanctis.» Ubi B. Augustinus dicit certum esse ex Scripturis, multos Christianos baptizatos in Ecclesia perdere charitatem, et tamen non perdere Baptismus, id quod etiam Donatistae concedebant: non autem dicit, certum esse ex Scripturis, Baptismus datum ab haereticis esse ratum.

Praeterea, etiamsi illa verba referrentur ad superiora, adhuc nihil haberet Kemnitius: nam ibi etiam non dicit Augustinus certum esse, Baptismus haereticorum esse ratum, sed dicit certum esse, eum qui verum Christi Baptismus accepit, non debere rebaptizari, quod etiam Donatistae concedebant: sed postea supererat quaestio: an Baptismus haereticorum esset verus Christi Baptismus, necne.

Ad octavum dico: ibi Augustinum non probare ex Scripturis sententiam suam, sed referre, qua Scriptura conabantur adversarii probare contrariam sententiam.

CAPUT VIII.

Idem probatur quatuor aliis Argumentis.

Praeter communem hunc Patrum consensum, id ipsum suadet consensus haereticorum in Traditionibus contemnendis. Ut enim ex communi consensu sanctorum Patrum omnium aetatum, recipientium Traditiones, colligimus, eas esse recipiendas: ita ex com-

muni consensu haereticorum omnium aetatum rejicientium Traditiones, colligimus, eas non esse rejiciendas. De Valentinianis, Marcionistis, et similibus testantur Irenaeus lib. III, cap. 2. et Tertullianus de praescript. quod Traditiones Ecclesiae non scriptas rejicerent.

Cyprianus quoque cum errorem illum de Anabaptismo defendere vellet, non aliter id facere potuit, quam a Traditione ad Scripturam provocando, ut apparet ex epist. ejusdem Cypriani ad Pompejum, et ex altera ad Jubanum. Quamquam antea Cyprianus Traditiones agnoverat, ut supra ostendimus, et errorem etiam posteriorem eum correxisse ante mortem, existimat B. Augustinus in ep. 48. ad Vincent.

Donatistae quoque semper Scripturas urgebant, et B. Augustinus eis Traditiones, et Ecclesiae consuetudinem objiciebat lib. De unit. Eccles. cap. 19. et alibi.

Arianos nullo modo quidquam praeter Scripturas admisisse, testatur Hilarius, qui in lib. Cont. Constant. introduct. Arianum dicentem: «Nolo verba, quae non scripta sunt, legi.» Maximinus Arianus apud Augustinum lib. I. cont. Maximin., sive Collat. cum Maxim. in principio sic ait: «Si quid de divinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est ut audiamus; eae vero voces quae extra Scripturam sunt, nullo casu a nobis suscipiuntur. Praeterea cum ipse Dominus moneat nos, et dicat: Sine causa colunt me docentes mandata, et praecipua hominum.» Idem testatur Epiphanius haeres. 69 et 73.

Arianos quoque Traditiones rejecisse, scribit Epiphanius haeres. 73. Idem de Enochianis patet ex Basilio lib. de Spirit. sanct. cap. 27 et 29. Idem de Nestorio, Eutyche, Dioscoro refert Basilius Ancyranus Episcopus in confess. Cathol., quam recitavit in VII Synodo Act. 1. Idem de Apostolicis sui temporis Bernardus hom. 66. in Cant. Idem de Joanne Wiclefo, Thomas Waldensis, lib. II doct. Fid. ant. cap. 19. Ab his ergo quasi per manus acceperunt Lutherani dogma suum, de Traditionibus contemnendis: ut nos a sanctis Patribus nostrum didicimus, de iisdem cum omni honore recipiendis.

His adde morem omnium gentium. Nam Judaeos habuisse aliquas Traditiones extra Scripturam, docent Origenes hom. 5. in Numer. et in Comment. cap. III ad Rom. et Hilarius in Psal. II, necnon Anatolius antiquis-

(1) Luc. IX, 50. — (2) Joan. XIII, 10.

simus auctor Christianus apud Euseb. lib. VII histor. cap. 28. Et quamquam non desunt aliqui Catholicorum, qui negant ullam fuisse Traditionem non scriptam apud Judæos; tamen non possum illis assentiri, cum, ut supra docuimus, non omnia sufficienter continerit lex vetus scripta, et multo tempore populus ille, etiam post Mosen natum, sine lege scripta vixerit.

Deinde omnes profanæ Republicæ magna ex parte legibus non scriptis reguntur. Pericles apud Thucydidem partitur jus Athenarum in scriptum et non scriptum. Aristoteles I. III. Polit. c. 11. partim optimis legibus, partim arbitrario optimi viri civitatem regendam esse statuit, et I. V. De moribus c. 4. iudicem sive arbitrum jus animatum vocat, quod videlicet aliud quoddam præterea existet jus scriptum veluti mortuum. Porro Lacedæmonis Lycurgus nullam legem scriptam dare voluit, ut ait Plutarchus, sed solis Traditionibus vivere, quo essent in agendo, quam in legendo diligentiores. Idem placuisse Ciceroni satis apparet ex lib. I. De legibus. Et idem de sapientibus Gallorum scribit Cæsar. lib. VI. De bello Gallico.

Nobilissimi Philosophorum Pythagoras, et Socrates, cum plurima docerint, nihil tamen scripserunt, ut B. Augustinus docet I. I. De Cons. Evang. cap. 7. nisi quod Socrates fabulas ab Æsopo scriptas versibus prosecutus est. Denique in Jure civili, I. Diuturna, ff. de legibus, et in Jure canonico dist. 4. can. Consuetudo, eadem tribuitur auctoritas legi scriptæ, et consuetudini non scriptæ. Itaque natura ipsa quodammodo clamare videtur, Traditiones non scriptas, vel necessarias, vel certe utilissimas esse.

Accedat Ecclesiæ Catholice dignitas. Nam ut olim Judæi excellebant omnibus nationibus, quia credita erant illis eloquia Dei, ut dicitur Rom. III. ita nunc præstat Ecclesiæ Christi omnibus Sectis, quod ipsa sola, quippe quæ sponsa Christi est, noverit omnia mysteria veræ religionis et conscia sit secretorum sponsi, et propterea appelletur columna et firmamentum veritatis. I. Timo. III. At si omnia essent scripta, et apertissime, ut hæretici dicunt, nullum esset privilegium Ecclesiæ: nam nihil minus scirent hæretici, et pagani, et Judæi de mysteriis Fidei nostræ, quam nos ipsi, atque Antistites nostri sciunt: neque esset verum quod

ait Irenæus libr. III. cap. 4. in solam Ecclesiam tamquam in depositarium dives repositam ab Apostolis scientiam rerum divinarum.

Accedat postremo dignitas mysteriorum multorum, quæ silentium requirunt, nec decet, ut in Scripturis, quæ toti Mundo leguntur, explicentur. Si enim ad videnda tremenda mysteria Missæ non licet admittiere ullos non baptizatos, quomodo licebit eis eadem scripta tradere? Hinc Dominus seorsim discipulis interpretabatur parabolas, quas populo locutus erat Luc. VIII. et Apostolus ait I. Corinth. II. *Sapientiam loquimur inter perfectos* (1) Et passim Veteres, cum de Sacramento Eucharistiæ loquuntur, dicere solent: « Norunt Fideles, norunt initiati. » Hanc rationem attingunt Dionysius cap. I. Ecclesiast. hierarch. Origenes homil. 5. in Numer. Basilius c. 27. lib. De Spir. sanct., et Innocentius I. in ep. 1.

CAPUT IX.

Explicantur regule quinque, quibus in cognitionem verarum Traditionum devenimus.

Sequitur nunc ut ostendamus, quibus viis ac rationibus indagandum sit, quæ sint veræ ac germanæ Apostolorum Traditiones.

Prima igitur regula est: Quando universa Ecclesia aliquid tanquam Fidei dogma amplectitur, quod non invenitur in divinis Litteris, necesse est dicere, ex Apostolorum Traditione id haberi. Ratio hujus est, quia cum Ecclesia universa errare non possit, cum sit columna et firmamentum veritatis I. Tim. III. et cum de ea dictum sit a Domino Matth. XVI. *Portæ inferi non prævalent adversus eam* (2): certe quod Ecclesia de Fide esse credit, sine dubio est de Fide: at nihil est de Fide, nisi quod Deus per Apostolos, aut Prophetas revelavit, aut quod evidenter inde deducitur; non enim novis revelationibus nunc regitur Ecclesia, sed in iis permanet quæ tradiderunt illi, qui ministri fuerunt sermonis, et propterea dicitur Ephes. II. *Ædificata supra*

(1) I. Cor. II. 6. — (2) Matth. XVI. 8.

fundamentum Apostolorum et Prophetarum (1): igitur illa omnia quæ Ecclesia Fide tenet, tradita sunt ab Apostolis, aut Prophetis, aut scripto aut verbo. Talis est perpetua virginitas B. Mariæ, numerus librorum Canoniorum, et similia.

Secunda regula est: Quando universa Ecclesia aliquid servat, quod nemo constituere potuit, nisi Deus, quod tamen nusquam invenitur scriptum, necesse est dicere, ab ipso Christo et Apostolis ejus traditum. Ratio est similis superiori: nam Ecclesia universa non solum non potest errare in credendo, sed nec in operando, ac præsertim in ritu et cultu divino: recteque Augustinus ep. 118. docet, insolentissime insaniam esse existimare, non recte fieri quod ab universa Ecclesia fit; ergo illa quæ Ecclesia non potest recte servare nisi a Deo sint instituta, et tamen servat, necesse est dicere, a Deo instituta, etiamsi nusquam id legatur. Tale est Baptisma parvulorum: erraret enim gravissime Ecclesia, si sine Dei mandato parvulus qui actu non credunt, baptizaret. Quocirca Augustinus lib. X. De Genes. cap. 23. « Consuetudo, inquit, matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset Traditio. » Tale est etiam, Baptismum hæreticorum esse ratum, et propterea Augustinus semper mandatum non rebaptizandi ab hæreticis baptizatos, ad Apostolorum Traditionem revocat: nec enim potest Ecclesia dare Baptisma auctoritatem, si eam a Christo non habet.

Tertia regula est: Id quod in Ecclesia universa, et omnibus retro temporibus servatum est, merito ab Apostolis creditur institutum, etiamsi illud tale sit, ut potuerit ab Ecclesia institui. Hæc regula est Augustini lib. IV. Cont. Donat. cap. 24. Exemplo sit jejunium Quadragesimæ: id enim poterat ab Ecclesia institui, si Christus vel Apostoli non instituissent; tamen dicimus et probamus, a Christo vel Apostolis institutum, quia sursum versus ascendentes, et querentes originem hujus instituti, non invenimus nisi tempore Apostolorum; etiamsi Calvinus lib. IV. c. 12. Instit. §. 20. doceat, esse Quadragesimam meram superstitionem, et nec a Christo, nec ab Apostolis Traditam, sed a posterioribus ex *κακοζήλῳ* excogitatam.

(1) Eph. II. 20.

B. Bernardus sermon. 3. de Quadrag.: « Hactenus, inquit, usque ad nonam jejunavimus soli, nunc (in Quadragesima) usque ad vesperam jejunabunt nobiscum pariter universi, Reges et Principes, Clerus et populus, simul in unum dives et pauper. » Ante Bernardum Gregorius homil. 16. in Evang., Quadragesima meminit, rationem reddens cur quadraginta dies jejunemus. Ante Gregorium Leo in serm. 42. de Quadrages. Ante eum Augustinus in epistola 118. et 119. et sermone 44. De Quadrages. Ante eum Hieronymus in cap. IX. Matth. et in III. cap. Jonæ, et alibi. Paulinus in epist. 6. ad Amandum. Chrysost. homil. 1. in Gen. et alibi. Ante hos Ambrosius serm. 8. de Quadragesima, Epiphanius in compend. doctr. Basilius Orat. 2. de jejun. Nazianzenus orat. in sanct. Lavacr. et Cyrillus catech. 1. Ante hos Origenes hom. 10. in Levit. Ante eum Irenæus apud Euseb. lib. V. histor. cap. 24. Ante eum Telesphorus Papa in epist. decret. Ante eum Ignatius in epist. ad Philippen. et Clem. lib. V. cons. cap. 13. et can. 68. Apost.

Pari ratione Calvinus lib. IV. c. 19. Instit. §. 24. dicit, Ordines minores esse inventum novitium, de quo nusquam legitur, nisi apud ineptos Rabulas, Sorbonistas, et Canonistas. At nos ostendimus ex regula posita, esse Apostolicæ Traditionis. Nam ante omnes Sorbonistas et Canonistas fuit Isidorus, qui I. VII. Etymol. c. 12. enumerat singulos Ordines, et rationes nominum exponit. Ante Isidorum fuit Conc. Carthag. IV. in quo a c. 1. usque ad 40. traditur, quo ritu ordinentur Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Lectores, Exorcistæ, Ostiarii. Et ante hoc Concilium fuit Hieronymus, qui in cap. 2. ad Titum enumerat Ordines omnes, præter Acolythos, quorum meminit in epist. ad Nepot. de vit. cleric.

Ante Hieronymum fuit Concilium Laodicenum in ejujus cap. 24. nominantur omnes minores Ordines. Ante quod Concilium Cornelius Papa in epist. ad Fabium Antioch., ut est apud Euseb. lib. VI. histor. cap. 33. asserit, in Ecclesia Romana suo tempore fuisse præter Episcopum, Presbyteros 46 Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolythos 42 Exorcistas cum Lectoribus et Ostiariis 52. Sed et ante Cornelium Ignatius salutem nominatim omnes Ordines in epist. ad Antiochen.

Quarta regula est : Cum omnes Doctores Ecclesiae communi consensu docent, aliquid ex apostolica Traditione descendere, sive in Concilio generali congregati, sive scribentes seorsim in libris, illud credendum est apostolicam esse Traditionem. Ratio est hujus regule, quia si omnes Doctores Ecclesiae, cum in aliqua sententia conveniunt, errare possent, tota Ecclesia erraret, quippe quae Doctores suos sequi tenetur, et sequitur. Exemplum primi est, imaginum veneratio, quam esse apostolica Traditione asseruerunt Doctores Ecclesiae congregati in Concilio Nicæno II. generali Act. ult. Exemplum secundi vix invenitur, si debeant omnes penitus Patres qui scripserunt expresse aliquid dicere : tamen videtur sufficere, si aliquot Patres magni nominis expresse id asserant, et cæteri non contradicant, cum tamen ejus rei meminissent ; tunc enim illa esse omnium sententia non temere dici poterit, quando enim in re gravi aliquis Veterum erravit, semper multi inveniuntur qui contradicunt.

Hæc regula probamus, apostolicam Traditionem esse ritus, qui servantur in Baptismo ; quod nimirum qui baptizatur, baptizetur aqua prius a sacerdote benedicta ; quod jubetur abrenuntiare Satanae et pompis ejus, quod signetur signo Crucis, quod unguatur oleo benedicto etc. Id enim diserte asserunt Basilii de Spir. sanct. cap. 27. Tertullianus de Cor. mil., et alii quidam : nemo autem unquam contradixit, cum nullus fere sit Veterum, qui non meminerit harum caeremoniarum tamquam in Ecclesia ab omnibus receptarum. Pari ratione Quadragesimam esse divinam, vel apostolicam Traditionem, possemus etiam hæc regula firmiter probare, quia diserte id asserunt Irenæus, Epiphanius, Hieronymus, Ambrosius, Leo, et nullus contradicit, cum tamen omnes hujus observationis meminerint.

Quinta regula est : Id sine dubio credendum esse ex apostolica Traditione descendere, quod pro tali habetur in illis Ecclesiis, ubi est integra et continuata successio ab Apostolis. Hanc regulam tradit Irenæus lib. III. c. 3. et Tertullianus lib. De præscript. Ratio regule est, quia Apostoli tradiderunt successoribus suis cum officio Episcopatus, etiam doctrinam religionis.

Si ergo in aliqua Ecclesia ascendendo per

Episcopos sibi invicem succedentes perveniamus ad Apostolum aliquem, et non possit ostendi, quod nullus eorum Episcoporum introduxerit novam doctrinam ; certi sumus, ibi conservari apostolicas Traditiones. Et quidem olim inveniebatur successio non interrupta, non solum Romæ, sed etiam Ephesi, Corinthi, Antiochiæ, Alexandria, Hierosolymæ, et aliis : ac propterea Tertullianus remittit homines ad quamlibet ex Apostolicis Ecclesiis, ut ibi inveniant apostolicas Traditiones : et Theodosius I. Cunctos populos, C. de sum. Trinit. et Fide catholica, jubet omnes servare eam Fidem, quam prædicabant eo tempore Damasus Romæ, et Petrus Alexandria, duo Pontifices præcipuarum apostolicarum Ecclesiarum : at nunc deficit certa successio in omnibus Ecclesiis Apostolicis, præterquam in Romana, et ideo ex testimonio hujus solius Ecclesiae sumi potest certum argumentum ad probandas apostolicas Traditiones ; ac tum potissimum, cum doctrina, vel ritus earum Ecclesiarum a doctrina, et ritibus Ecclesiae Romanæ dissentiant.

CAPUT X.

Solvuntur objectiones adversariorum, quæ ex Scripturis petuntur.

Restat ultima pars quæstionis, in qua argumenta adversariorum exponenda, et solvenda sunt. Tria sunt genera argumentorum, quorum primum a Scripturis, secundum a Patribus, tertium a rationibus sumunt. E Scripturis. Primo proponunt eas quæ jubent, nihil debere addi verbo Dei. Secundo illas quæ expresse docent, Scripturas esse sufficientes, et continere omnia necessaria. Tertio illas, quæ aperte damnant Traditiones.

Primum igitur argumentum ex tribus locis constat : Deuter. IV. et XII. *Non additis ad verbum, quod ego præcipio vobis, nec auferetis ex eo.* Apocal. ult. *Si quis appoverit ad hæc, etc.* Galatas I. *Sed licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit (1).* Ubi

(1) Deut. IV. 2 ; et XII, 32 ; Apoc. XXII, 18 ; Galat. I, 8.

notat Kemnitius, non esse dictum *contra, sed præter*. Et ne dicamus loqui Paulum de verbo tam scripto, quam non scripto, adducit Augustinus sic exponens lib. III. cont. lit. Petil. cap. 6. Si quis « sive de Christo, sive de ejus Ecclesia, sive de quacumque alia re, quæ pertinet ad Fidem vitamque vestram, non dicam, nos, sed omnino quod » Paulus adjecit : « Si Angelus de caelo vobis annuntiaverit præterquam quod in Scripturis legalibus et Evangelicis accepistis, anathema sit. » Similia habet Basilii in Sum. Moral., sum. 72. c. 1.

Ad primum respondeo : primo ibi non agi de verbo scripto, sed tradito viva voce : nam non ait ad verbum *quod scripsi, sed quod ego præcipio*. Secundo dico : veram expositionem ejus loci esse, quod Deus velit integre, et perfecte servari mandata, ut ipse præcipit, et nullo modo ea depravari falsa interpretatione. Itaque non vult dicere, *non servabitis aliud quam id, quod nunc præcipio, sed in hoc quod præcipio nihil mutabitis, addendo, vel minuendo, sed integre facietis, ut jubeo, et non abiter*. Quod idem solet Scriptura significare illis verbis : *Non declinabis ad dextram, neque ad sinistram*. Et quod hoc sit verum, patet, quia aliqui peccassent Prophetas et Apostoli, qui tam multa postea addiderunt.

Respondent Brentius, Kemnitius, Calvinus ; Prophetas non addidisse quidquam ad Legem, quantum ad doctrinam atinet, sed tantum vaticinia quædam de futuris scripsisse, et Legis doctrinam explicavisse. Testamentum quoque novum non esse additionem ad vetus, sed explicationem, cum Apostolus ad Rom. I. dicat, Evangelium promissum a Deo per Prophetas in Scripturis sanctis. Et Actor. XV. non sint ausi Apostoli in Concilio aliquid decernere sine testimonio Scripturæ.

At contra : nam hoc modo etiam Traditiones non sunt additiones, sed explicationes. Nam in Lege Mosis non continentur Prophetarum scripta, neque in lege et Prophetis continetur Testamentum novum, nisi in universali, et quodammodo in virtute, sicut tota arbor continetur in semine. Habemus enim in lege Dent. XVIII. *Prophetam suscitabit tibi Deus etc. illum audies (1)*. Ibi autem continetur in genere quicquid Christus fecit et dixit : at in particulari tamen

quod Christus deberet prædicare Trinitatem personarum in Deo, instituire Sacramenta, facere talia miracula etc. ibi non habetur.

Quod vero allegant ex Act. XV. contra ipsos est. Nam etsi Jacobus in eo Concilio probavit ex Scripturis, Ecclesiam adificandam ex gentibus : tamen decretum Concilii nusquam invenitur in Scripturis Testamenti veteris. Deceverunt enim ut gentes non servent legalia, excepta tamen abstinentia a sanguine et suffocato, cujus decreti secunda pars nusquam in Testamento veteri legitur. Ubi enim, quæso, ullus Propheta prædixit, Messiae temporibus prohibenda esse suffocata, et sanguinem ?

Sic etiam quia scriptum est, II. Thessal. II. *Tenete Traditiones quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam*. Et Luc. X. *Qui vos audit, me audit*. Et Matth. XVIII. *Si Ecclesiam non audierit, sicut tibi sicut Ethnicus et Publicanus (2)*. Idcirco nos affirmamus, Traditiones esse quodammodo explicationes verbi scripti ; non quod nudam contineant ejus expositionem, sed quia omnes Traditiones, et Ecclesiae decreta continentur in Scripturis in universali : sed in particulari non continentur, nec debent contineri. Quare Augustinus lib. I. cont. Crescon. cap. 33. sic ait : « Quamvis certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, tamen earumdem Scripturarum a nobis tenetur veritas, cum jam facimus, quod universe placuit Ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas ».

Ad secundum : certum est, Joannem ibi prohibere corruptionem libri illius, non autem ne alii libri scribantur, aut alia dogmata tradantur, alioqui ipse secum pugnasset, qui juxta Kemnitium in exam. pag. 202. scripsit Evangelium post Apocalypsim.

Ad tertium, quo maxime Brentius et Kemnitius nituntur, duplex solutio est, et utraque solida. Prior, quod Apostolus non loquatur de solo verbo scripto, sed de omni verbo, sive scripto, sive tradito. Non enim dicit, si quis evangelizaverit præter id quod scripsimus, sed præter id quod evangelizavimus. Neque obstant illa verba Augustini, vel Basilii : illi enim non exponunt ex professo hunc locum, sed probant ex hoc loco, non licere quidquam asserere contrarium Scripturis : quod verissimum est. Cum enim

(1) Deut. XVIII, 15. — (2) II. Thessal. II, 14 ; Luc. X, 16 ; Matth. XVIII, 17.

Paulus loquatur in genere de prædicatione apostolica, et illa partim sit scripta, partim non scripta; possumus inde recte probare, non licere aliquid asserere contra scriptam prædicationem Apostolorum. Ex universalis enim negatione recte ducitur argumentum ad negationem particularis: non tamen e contrario. Et similiter possumus ex hoc verbo Pauli argumentari contra eos, qui evangelizant contra Traditiones Ecclesie jam receptas, etiamsi ex Scripturis videantur evangelizare, ut pulchre docet Athanasius in lib. De Incarnat. Verbi, et Cyrillus Athanasium citans lib. De recta fide ad Reginas, non procul ab initio.

Altera solutio est, quod per illud præter Apostolus intelligat contra: et proinde non prohibeat nova dogmata, et præcepta, modo non sint contraria jam traditis: sed prohibeat dogmata, et præcepta contraria, et aliena. Id patet primo, quia Apostolus ipse multa aia postea docuit: et post hanc epistolam scripsit Joannes Apocalypsim, et Evangelium suum. Secundo, ex proposito Apostoli, ait enim contra eos, qui docebant servanda esse legalia, cum ipse docuisset non esse servanda. Igitur cum dicit præter, intelligit contra. Tertio, ex alio loco, ubi Apostolus sic utitur voce præter. Nam Rom. ult.: *Observate, inquit, eos, qui dissensiones, et offendentia, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt* (1). Quo loco adeo clarum est, illud præter significare contra, ut Erasmus verterit contra. In utroque autem loco eadem est vox Græca *παρά*. Quarto, ex Patrum expositione. S. Ambrosius exponit *Si contra*. S. Hieronymus *Si aliter*. Chrysostomus, Oecumenius, et Theophylactus dicunt, Apostolum non dixisse, *si contraria*, sed *si præter quam quod* etc. ut indicaret, non solum eos anathematizari, qui aperte contraria toti doctrinæ docent, sed etiam eos, qui quomodocumque sive aperte, sive oblique quilibet labefactant ex doctrina tradita.

Sanctus Basilius Sum. mor. 72, cap. 1. (quem locum pro se citaverat Kemnitius) docet ex hoc loco haberi, eos recipiendos, qui consona Scripturis tradunt: eos rejiciendos, qui aliena. Denique S. Augustinus lib. XVII, cont. Faust. cap. 3. exponit contra: et Tract. 98. in Jo. sic loquitur: « Non ait, plus quam accepistis, sed præter quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipsi præ-

judicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret que illorum Fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat, addit, non quod inerat tollit. Qui autem prætergreditur regulam Fidei, non accedit in via, sed recedit de via etc. »

Argumentum secundum sumunt ab iis locis, quæ videntur indicare, Scripturam sufficienter omnia continere, quæ duo sunt. Primus Jo. XX. *Multa quidem, et alia signa fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc; hæc autem scripta sunt, ut credatis, quod Jesus est Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus* (2). Ubi Joannes indicat, se scripsisse, non quidem omnia, sed ea, quæ sufficienter. Si enim possumus vitam habere per ea, quæ scripta sunt, quid amplius querimus?

Confirmat Kemnitius ex tribus testimoniis Veterum. Augustinus tract. 49. in Jo. « Sanctus Evangelista testatur », inquit, « multa Dominum Christum et dixisse et fecisse, quæ scripta non sunt: electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur ». Idem Augustinus lib. I. De cons. Evang. cap. ult. « Quid quid », inquit, « ille, » id est Christus, « de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis », id est Apostolis, « tanquam suis manibus imperavit. » Cyrillus lib. XII. in Jo. cap. ult. « Non omnia », inquit, « quæ Dominus fecit, conscripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores, quam ad dogmata putarunt sufficere, ut recta Fide, et operibus, ac virtute rutilantes ad regnum cælorum perveniamus ».

Secundus locus est, II. Timoth. III. « *Omnia Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (3). Qui locus est Achilles Brentii, et Kemnitii. Sic autem explicat a Kemnitio. Illud *omnis Scriptura* non significat quemlibet librum sacrum, sed totum corpus simul librorum canonicorum. Nam quod sequitur, *utilis est ad docendum, arguendum, etc.* non potest convenire uni alicui libro, sed solum toti Scripturæ simul. Illud autem *utilis est*, non significat esse utilem Scripturam eo modo, quo utile distinguitur a necessario et sufficienti, sed significat Scripturam esse factam tanquam medium ad perficiendum homi-

nem Dei: quasi diceret Paulus, *Scriptura hunc habet usum ad hoc facta est, ad hoc dirigitur*; quomodo dicimus, cibum esse utilem ad alendum hominem: sine quo tamen vivere non potest.

Illud vero ad *docendum, arguendum, etc.* explicat sufficientiam Scripturæ. Quatuor enim solum sunt necessaria homini Dei, id est, doctori Christiano. Primo, ut possit docere doctrinam Fidei. Secundo, ut possit refellere errores contra Fidem. Tertio, ut possit docere doctrinam morum. Quarto, ut possit corrigere errantes circa mores; hæc autem omnia præstat Scriptura. Servit enim ad docendum, id est, dogmata Fidei: ad arguendum, id est, ad refutandos errantes de Fide: ad erudiendum in justitia, id est, ad docenda præcepta morum: ad corripiendum, id est, ad corrigendos errantes in moribus: ex quo concludit Paulus, hominem Scripturis instructum esse perfectum, et aptum ad omne opus bonum.

Respondet ad primum: Joannem in eo loco tantum loqui de miraculis Christi, ac dicere, se scripsisse tantum aliqua miracula, non omnia, quia illa sufficienter ad persuadendum Mundo, Christum esse Filium Dei; sic enim ait: *Multa quidem et alia signa fecit Jesus, in conspectu discipulorum suorum etc.* Ineptè autem Kemnitius, quæ de solis miraculis dicuntur, transfert ad omnia dogmata Fidei, et morum præcepta. Præterea, Joannes non loquitur, nisi de rebus a se scriptis; ergo si illæ sufficienter, superflue erunt omnes aliæ Scripturæ.

Respondet Kemnitius: Joannem loqui de tota Scriptura. At refellit hoc mendacium Joannes, qui ait: *Multa quidem et alia signa fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc.* Quod vero addit, *hæc autem scripta sunt* etc. non significat signa sola sufficere nobis ad salutem, sed illa ad hoc referri, et ordinari, et esse unum ex mediis requisitis ad nostram salutem, etiamsi solum non sufficiat.

Ad illa loca Augustini et Cyrilli dico: eos Patres de solis dictis et factis Christi loqui: ac propterea dicere eos voluisse, scripta esse sufficienter, non omnia absolute, sed omnia dicta et facta Christi. Præter quæ dicta et facta, multa sunt alia necessaria, alioqui omnes historiae, et documenta Testamenti veteris, et ipsa Acta Apostolorum, et epistolæ Petri, Pauli, Joannis, Jacobi, et Judæ supervacanea essent. Neque hoc pugnat

cum eo quod supra diximus, Scripturas non fuisse absolute necessarias: etsi enim necessaria est cognitio multarum rerum quas Christus et Apostoli dixerunt, aut fecerunt, ea tamen cognitio, etiam sine Scripturis, sola Traditione haberi potuisset, quamquam utilissimum fuisse, ut præcipua capita scriberentur, nullo modo negandum sit.

Adde, quod sine dubio Patres illi, ex dictis et factis Christi non intelligunt esse scripta sufficienter omnia necessaria absolute, sed esse scripta doctrinam morum. Quarto, ut possit corrigere errantes circa mores; hæc autem omnia præstat Scriptura. Servit enim ad docendum, id est, dogmata Fidei: ad arguendum, id est, ad refutandos errantes de Fide: ad erudiendum in justitia, id est, ad docenda præcepta morum: ad corripiendum, id est, ad corrigendos errantes in moribus: ex quo concludit Paulus, hominem Scripturis instructum esse perfectum, et aptum ad omne opus bonum.

Respondet ad primum: Joannem in eo loco tantum loqui de miraculis Christi, ac dicere, se scripsisse tantum aliqua miracula, non omnia, quia illa sufficienter ad persuadendum Mundo, Christum esse Filium Dei; sic enim ait: *Multa quidem et alia signa fecit Jesus, in conspectu discipulorum suorum etc.* Ineptè autem Kemnitius, quæ de solis miraculis dicuntur, transfert ad omnia dogmata Fidei, et morum præcepta. Præterea, Joannes non loquitur, nisi de rebus a se scriptis; ergo si illæ sufficienter, superflue erunt omnes aliæ Scripturæ.

Respondet Kemnitius: Joannem loqui de tota Scriptura. At refellit hoc mendacium Joannes, qui ait: *Multa quidem et alia signa fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc.* Quod vero addit, *hæc autem scripta sunt* etc. non significat signa sola sufficere nobis ad salutem, sed illa ad hoc referri, et ordinari, et esse unum ex mediis requisitis ad nostram salutem, etiamsi solum non sufficiat.

(1) Rom. XVI, 17. — (2) Joan XXI, 25. — (3) II. Tim. III, 16.

fantia sacras litteras nosti, (id est, Testamentum vetus; nam cum esset infans Timotheus, nondum exstabat Testamentum novum, ut patet, et adversarii admittunt) quae te possunt instruere ad salutem per Fidem, quae est in Christo Jesu (1). Ubi Apostolus paucis verbis tribuit Scripturam Testamenti veteris id totum, quod paulo post multis verbis tribuit omni Scripturæ. Et ne Timotheus de eo dubitaret, probat Apostolus, subjungens: *Omnis Scriptura divinitus inspirata etc.*

Neque obstat quod Kemnitijs objicit, non inveniri in quolibet libro has omnes utilitates: nam falsum est non inveniri. Nulla est enim pars Scripturæ brevior epistola secunda Joannis, et tamen in ea videmus prædicari, Christum esse verum Dei Filium, quod est dogma Fidei. Item videmus prædicari, ut diligamus alterutrum, quæ est doctrina morum. Præterea videmus aperte in ea scribi, esse Antichristos eos, qui dicunt, Christum non venisse in carne, quod pertinet ad hæreticos refellendos. Postremo videmus reprehendi eos, qui dicunt hæreticis Ave, quod ad correctionem morum pertinet.

Jam vero illud *utilis est* quantumvis à Kemnitijs torqueatur, nunquam tamen significabit *sufficiens est*. Ipse enim utcumque probat, non deduci ex ea voce, quod Scriptura non sit sufficiens: sed nec deducitur, quod sit sufficiens, quod ei probandum erat. Sive enim dicas: *Scriptura utilis est ad hoc*, sive *hunc habet usum*, sive *ad hoc refertur et ordinatur*, sive quidlibet aliud simile, nunquam tamen significabis eam solum sufficere. Sicut etiam qui dicit, cibis utilis est ad nutriendum hominem, dicit quidem cibum ad hoc esse institutum, ut nutriat, sed non dicit sufficere solum cibum: nam si calor naturalis deficiat, aut aliquid instrumentum corporis ad nutritionem necessarium, cibis non nutriat. Itaque Apostolus non dicit, solum Scripturam sufficere ad docendam, arguendum etc. proinde ad hominem perficiendum et absolvendum: sed tamen ad hæc omnia prodesse et juvare.

Et quamvis ipse idem Apostolus non dicat, *non sufficere*, tamen id colligimus ex alijs ejus locis: ut ex illo I. Cor. XI. *Cætera cum venero, disponam*. Et II. Thess. II. *Tenete Traditiones, sive per sermonem, sive per Epi-*

stolam, etc. (2). Ex hoc etiam loco, licet non colligatur Paulum dixisse, *Scripturam non sufficere*; colligitur tamen evidenter eum non dixisse, *Scripturam solum sufficere*, quia ipse tribuit has laudes cuilibet operi canonico, et scimus ex confessione etiam adversariorum, non sufficere quodlibet opus canonicum, quia tunc alia essent superflua.

Argumentum Tertium ex locis, in quibus damnantur Traditiones. Marci VII. *In vanum colunt me docentes præcepta et doctrinas hominum*. Matth. XV. *Irritum fecistis mandatum Dei propter Traditionem vestram*. Galat. I. *Emulator existens paternarum mearum Traditionum*. Coloss. II. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, et inanem fallaciam secundam Traditionem hominum* I. Timoth. I. *Neque intenderent fabulis Judaicis, etc.* I. Petr. I. *Redempti estis de vana vestra conversatione paternæ Traditionis* (3). Hic damnantur Traditiones, quas Judæi jaclabant se per manus accepisse a Mose et Prophetis; ergo similiter damnatæ esse intelliguntur Traditiones, quas nos dicimus a Christo, et Apostolis ad nos devenisse per manus Patrum.

Respondeo: Christum et Apostolos non reprehendere Traditiones, quas acceperant Judæi a Mose et Prophetis, quarum una erat de ipsis libris canonicis, qui essent veri, et qui non essent; sed Traditiones quas acceperant a quibusdam recentioribus, quarum aliquæ inanes, aliquæ perniciosæ erant, et contra Scripturas. Nam nec Christus aut Apostoli unquam vocant eas Traditiones Mosis et Prophetarum: et aperte dicunt se loqui de illis, quæ cum Scripturis pugnant. Et præterea Patres veteres explicaverunt diserte quis fuerit auctor Traditionum, quas Christus et Apostoli reprehendunt.

Irenæus lib. IV, cap. 25 et 26, disputat contra veteres hæreticos, qui putabant nomine Traditionum a Christo et Apostolis reprehensarum intelligi Legem Mosis, et docet, non Mosis Legem, sed recentiorum seniorum Traditiones Legem corruptumpentes a Christo et Apostolis reprehendi. Epiphanius in her. Prol. docet Traditiones Judæorum fuisse quatuor expositiones librorum sacrorum. Primam Mosis, et eam non reprehendit. Secundam R. Akibam. Tertiam R. Juda. Et quartam filiorum Asamonei, atque has esse, quæ reprehenduntur a Domino.

(1) II. Timoth. III, 15. — (2) I. Cor. XI, 34; II. Thessal. II, 14. — (3) Marc. VII, 7; Matth. XV, 3; Galat. I, 14; Coloss. II, 8; I. Timoth. I, 4; I. Petr. I, 18.

Hieronymus in cap. VIII Isaïæ, et in cap. III. epist. ad Tit. et in epist. ad Algasiam, quæst. 10, docet Traditiones Judaicas, quas Dominus reprehendit, initium habuisse a Sammai, Killel, Achiba, et quibusdam alijs, qui paulo ante ortum Salvatoris exsisterant, et Legem non tam exposuerant, quam corruperant; quas Traditiones ipsi *διδασκαλίαι* vocant. De quibus exstat in jure civili constitutio quaedam Justiniani, quæ est 146. Novel. in hæc verba: « Quæ deuterosis, quasi secundaria Traditio ab ipsis dicitur, in universum interdicimus, ut quæ sacris Libris comprehensa non sit, neque desuper tradita per Prophetas, sed excerpta quædam virorum contineat, qui terrena duntaxat loquuntur, nec quidquam divini in se habeant numinis. » Porro ex his fontibus descendunt fabulæ, quæ nunc sunt in Thalmud, et in omnibus libris fere Rabbinorum. Sed nihil hæc ad Traditiones nostras, quæ Christum et Apostolos auctores habent, et Scripturis divinis consonæ sunt.

CAPUT XI.

Solvuntur objectiones ex Patribus.

Nunc ad ea testimonia, quæ ex Patribus adferunt, respondendum est. Kemnitijs igitur primo producit Irenæum lib. III, cap. 1, ubi sic loquitur: « Non enim per alios, inquit, dispositionem salutis cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos: quod quidem tunc præconiauerunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam Fidei nostræ futurum. » Eadem igitur, inquit Kemnitijs, scripserunt omnia Apostoli, quæ prædicarunt viva voce.

Respondeo: Irenæum non dicere nihil aliud Apostolos prædicavisse, quam quod scripserunt: sed solum scripsisse Evangelium, quod antea prædicaverant, quod est verum, et non contra nos. Sed, etsi diceret Irenæus, Apostolos omnia scripsisse quæ prædicaverunt, nihil diceret adversus sententiam nostram. Sunt enim duo diligenter notanda, tum ad hunc locum Irenæi, tum

ad alia multa aliorum Veterum intelligenda.

Primum est, quædam in doctrina Christiana tam Fidei, quam morum, esse simpliciter omnibus necessaria ad salutem, qualis est notitia articularum Symboli Apostolici: item cognitio decem præceptorum, et nonnullorum Sacramentorum. Cætera non ita necessaria sunt, ut sine eorum explicita notitia et Fide et professione homo salvari non possit, modo promptam habeat voluntatem ea suscipiendi, et credendi, quando sibi fuerint legitime per Ecclesiam proposita?

Hæc distinctio ex eo colligitur, quod sine notitia, et Fide mysteriorum primi generis, nemo adultus admittit ad Baptismum: sine notitia autem, et Fide saltem explicita posteriorum ordinarie admittuntur: quod Act. II, post unum Petri sermonem, quod docerant præcipua capita Fidei de Christo, baptizati sunt uno die homines ad tria millia, qui sine dubio nihil aliud noverant, nisi illa necessaria, et ideo subditur, quod post Baptismum erant perseverantes in doctrina Apostolorum, id est, discabant quæ nondum audierant de mysteriis Christianis. Sic Paulus cum Thessalonicenses in numero Sanctorum habere, et Fidem atque charitatem eorum miris laudibus extolleret, tamen I. Thess. III, dicit: *Orantes, ut videamus faciem vestram, et compleamus quæ desunt Fidei vestre* (1).

Nota Secundo, ea quæ sunt simpliciter necessaria, Apostolos consuevisse omnibus prædicare: aliorum autem non omnia omnibus, sed quædam omnibus, quæ nimirum omnibus utilia erant, quædam solis Prelatis, Episcopis, et Presbyteris, ut de ratione gubernandæ Ecclesiæ, de Sacramentis administrandis, de refellendis hæreticis etc. sicut etiam modo alia disputantur in scholis inter doctos, alia explicantur in concione populari. Sic Act. XX, Apostolus seorsim instruit Episcopos Asiæ. Sic I. Cor. II, sapientiam loquitur inter perfectos. Sic II. Tim. II. *Hæc, inquit, commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* (2). Sic Irenæus lib. IV, cap. 43, dicit, Apostolos cum Episcopatu tradidisse successoribus charisma scientiæ.

His notatis, dico: illa omnia scripta esse ab Apostolis, quæ sunt omnibus necessaria, et quæ ipsi palam omnibus vulgo prædicaverant: alia autem non omnia scripta esse.

(1) I. Thessal. III, 10. — (2) II. Tim. II, 2.